



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **YAUNDENSIS ET ALIARUM QUATTUOR**
PROVINCIAE ECCLESIASTICAE
CONSTITUUNTUR IN REPUBLICA CAMMARUNIENSI

Eo magis catholica Ecclesia vigescit et dilatatur, atque efficacius animarum saluti prospicit, quo aptius eius in orbe terrarum portiones ordinantur et stabiliuntur. Cum igitur in Republica Cammaruniensi haec redemptorum pia Mater prosperrimis sit locupletata incrementis et in posterum uberiores provideantur fructus sive Ordinariorum sive cleri eiusdem nationis et adventicii alacri industria, oportere duximus novas circumscriptiones ecclesiasticas constituere fidelium necessitatibus consulentes. Quam ob rem, audito consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium Sacrae Congregationi pro Gentium Evangelizatione praepositorum et faventis sententiae eorum, quorum intererat, habita ratione, suprema Nostra Apostolica auctoritate haec quae sequuntur statuimus. Quattuor erunt deinceps in Republica Cammaruniensi ecclesiasticae provinciae, et quidem :

- 1) *Provincia ecclesiastica Yaundensis*, quae constabit ex archiepiscopali metropolitana residentiali Ecclesia Yaundensi atque suffraganeis Ecclesiis residentialibus Dumensi, Mbalmayoënsi, Sangmelimaënsi, Bafiensi ;
- 2) *Provincia ecclesiastica Dualaënsis*, quae constabit ex archiepiscopali metropolitana residentiali Ecclesia Dualaënsi ac suffraganeis Ecclesiis residentialibus Nkongsambensi et Bafussamensi ;
- 3) *Provincia ecclesiastica Garuensis*, quae constabit ex archiepiscopali metropolitana Ecclesia Garuensi et suffraganeis Ecclesiis residentialibus Maruana-Mokolensi et Yaguana;
- 4) *Provincia ecclesiastica Bamendana*, quae constabit ex archiepiscopali metropolitana residentiali Ecclesia Bamendana et suffraganeis residentialibus Ecclesiis Bueaënsi et Kumboënsi, hoc ipso die condita.

Qui hactenus autem Ecclesiis praeerant, quae sunt metropolitanae hasce per Litteras Apostolicas constitutae, eos ad archiepiscopalem dignitatem evehimus. Ad haec omnia perficienda deputamus Venerabilem Fratrem Donatum Squicciarini, Apostolicum in Republica Cammaruniensi Pro-Nuntium, factis ad id necessariis et opportunis facultatibus, quas alii legare poterit, modo viro in ecclesiastica dignitate constituto. Re vero acta, documenta exarentur et eorum exemplar quam primum ad Sacram Congregationem pro Gentium Evangelizatione mittatur. Has Litteras Apostolicas ratas esse volumus sive nunc sive in posterum, contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die duodevicesimo mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo secundo, Pontificatus Nostri quarto.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI <i>a publicis Ecclesiae negotiis</i>	AGNELLUS Card. ROSSI <i>S. Congr. pro Gentium Evang. Praefectus</i>
---	--

Iosephus Del Ton, *Protonot. Apost.*
Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

*A.A.S., vol. LXXIV (1982), n. 6, pp. 666-667

© Copyright 1982- Libreria Editrice Vaticana

©Copyright - Libreria Editrice Vaticana